

**Quaestio medica chirurgica, an inter apostemata, pauca ferro sunt
aperienda? / [Louis Jean Baptiste Cosnier].**

Contributors

Cosnier, Louis Jean Baptiste.
Dejean, C. C.
Université de Paris.

Publication/Creation

Paris : Quillau, 1750.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/hsh5573q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



48

DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,
QUOD LIBET ARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die jovis duodecimæ
Februarii anno M. DCC. L.

M. CLAUDIO-CAROLO DE JEAN, Scholarum
Professore, Doctore Medico, Præside.

An inter apostemata, pauca ferro sunt aperienda?

I.


OMINEM, dum vivit, non solùm intùs cruciari mille morbis;
sed & extrà, affectibus numero penè infinitis deturpari, nil mi-
reris. Tumoribus omnis generis, omnis speciei, misérè obnoxia
humana cutis. Pro diversâ affluente materiâ, aut excretâ aut pro-
pulsâ, diversa tumorum aut indoles aut natura. Ubi cumquè (vi
morbi) naturalem cutis superficiem attollere cœpit appulsus humor
quicunque; tunc moles ista, tumor audit. Singulos sanguinis humores, seor-

2

sim modò , modò conjunctim sub cute latitantes incuneari , congeri , imò vasis ruptis inibi expandi , putrefieri , nec novum nec infrequens. Humor quisque , seu devius à suâ sede solùmmodò , seu simùl à suâ naturali crasi degener , sub aliquâ cutis parte gliscens , concrescensvè , tubere se manifestum facit. Propriâ quodammodo formâ , tumor quivis venit conspiciendus. Ab humoris vitio aut situ , plerumquè nomen habet. Tumor omnis , aut sui fert resolutionem , si modò per vasa iter de novo petere humori datum sit ; aut ablationem sui exposcit , si peregrinus humor resorberi à vasis , & sanguinis fluento denuò misceri nequeat. In priore casu resolventibus medicamentis , externis interioribusvè , aut naturâ solâ , curatio perficitur : in altero , arte opus est ; hæc ars , Chirurgica est. At ne credas Chirurgiam , igne & ferro sempè torquere membra. Quod naturam turbat vexatque , procùl amovere , Chirurgi opus est. Quod natura sola , tutò & per se sanare potest , illi relinquendum ; & si quo indiget adjumento , est in supellectile Pharamaceuticâ , unde adjuvetur.

I I.

A'πόσημα tumorem dico rotundum , tactui , ipsisque oculis obvium. Calorem habet individuum comitem ; colorem quoquè plùs miñus in ambitu rubeum , prout cuti vicinior aut ab ipsâ remotior , cuivis attendenti exhibet. Ardore continuo , & in dies magis ac magis crescente , ægrum cruciat non sine dolore nunc pungente , nunc lancinante. Urget , invalescitque dolor ille ad maturationis usque tempora ; eâ peractâ , mitescunt omnia , tactuque mollius precipitur apostema , sensimque & in dies pleniori mollitie , tangenti se offert contrectandum. Tunc Chirurgi ad opus se accingunt , ferrum festinantè arripiunt ; Sed heu , quàm infausto sàpè eventu ! rationem quæris ? naturæ parùm auscultatur , ad ejus leges parùm attenditur , nec satìs curæ est perpendere , quo ritu omnia sua munia obeat , quibus impedimentis in agendo interpelletur , quâ virtute , omne noxiū corrigere , à partibus nobilioribus in partes ignobiliores rejiceret aut prorsùs foras eliminare fatagat ; quàm multiplici viâ se liberet ab iis quæ suam œconomiam turbare valent , quâ sagacitate fræcta erigatur. Ea succos in apostema nocivos abigit , congestos digerit , concoquit , maturat. Vulnerum quin & eadem una medicatrix. Quid igitur Chirurgus in utrorumque curatione ? Naturæ minister ; ferendo nempè subsidium nutui ejus & voto , ministrum se præbet ad ipsius mentem ; nihil agendo ubi nihil agendum ; secando ubi secandum innuit ; amovendo ferrum & instrumenti genus omne , statim ac & quotiescumque vetat admovendum.

I I I.

IN plerisque igitur apostematum , natura per se sola , totum opus perficit ; digerit materiam , eidem exitum præbet , fordes detergit , sarcosim promovet , cicatricem obducit. Refragaris ? vade ad Plebeios , vel quos res angusta domi , vel quos ferramentorum pavor , ab omnibus præsidiis arcet ; en me , inquiet , eorum unusquisque , sanatum vides absque Chirurgiæ ope. Nec tibi moveat admirationem talis sanatio ; ferrum , naturæ inimicum : in apostematibus expurgandis , detergendis , & ad cicatricem perducendis moram facit & impedimentum. Abscessus omnis , discussionis spe omni elapsâ , solam maturationem tractanti relinquit promovendam , suppurationem vocant. Colliquatio quædam est hæc suppuratio , seu partis rubræ sanguinis in colorem album immutatio , commixtæ priùs (digestione quâdam) cum seroso-lymphaticâ sanguinis parte ; laudabilis erit & salutifera , si materia hinc enata , albam se offerat & æqualem

absque fetore. Hanc promove citius, urge pro viribus; periculum enim in morâ. Cuti quò vicinior erit puris copia, eò felicior exitus futurus; imò, ut in partem veniat ipsa cutis, enixè labora; cutis præcipuè pars magis declivis: ea sola putrefacta, materiæ purulentæ exitum parabit. Nec te moveat apertura parcior; seu à naturâ solâ, seu maturantium ope facta. Integralm purulentam materiem forâs amandabit sola loci declivitas. Salvâ reliquâ cutis parte apostema subtegente, abscessus interiora tuta sunt ab aëris injuriâ. Vulneri omni, infensissimus aér; fermentationis omnis extraneæ, corruptionis putredinisque parens ille. Apostemati circumstrata cutis, emplastrum naturæ amicum. Detersio puris, naturæ opus est. Carnis nova generatio ex solo naturæ censu. Cicatricem, ejecto pure quis format nisi natura? Quis pulchriorem perfecit unquam? Ne igitur, ferri ope, in apostematis omnibus indiscriminatim, patentiorem viam aëri facias, nec erubescas ægri bonis rebus magis consulere, quam legi heu nimium receperat, jam dudum antiquandæ.

I. V.

LANCEOLA, instrumentum anceps, à quo vita aut mors; prudentis ideo Medici regenda consilio, periti tractanda manu Chirurgi. Tumorem omnem perpende acceritus. Situm, naturam, characterem explora apostematis, & causam; nec satis est, ætatem, sexum, temperamentum habe diligentè perspecta; nec non totius massæ sanguineæ crasim præsentem, imminentemve. Ex eâ probè cognitâ, quid agendum sit, quid non, intelliges. Tunc omnibus indiscriminatim apostematis ferrum admovere religio erit. Faciei, collo, temporibus & mammis parce; at imprimis fave sexui, & infantili ætati aut juvenili; sexui, venustatis gratiâ; ætati teneræ, ob succorum eucrasiam; horum succi, rariùs degeneres à suâ crasi, solâ sæpiùs peccant luxuriâ; suppurationem patiuntur dulcem, simplicem, innocuam, cuius exitum natura parat sola, favente fibrarum mollitie. Exitus puri semel paratus, et si parcior, sanatio est. Exitum, si tardior, accelerata obtegendo partem rupturæ propiorem. Obtege humidis, qualia sunt succi herbacei, aut soli aut fermento mixti, aut melle, aut omnibus simili; non spernenda liliorum bulbosa radix & cæpæ coctæ priùs, aut inter cineres, aut in aquâ ebulliente, cum micâ fecalini panis commixtae & applicatae; his humescunt fibræ cutis foris ut intùs, citiusque putrescent, solutioni sic promptiores evadunt. Non absimili virtute pollent emplastra plurima aut unguenta, ut emplastrum divinum, aut diachylon verum cum gummi, emplastrum de meliloto, aliaque ejus energiæ quamplurima. Detersionem si fortè requirat sordium illuvies, tunc hordei decoctio tantilla, omne ferat fermè punctum, iteratis vicibus per fistulam injecta. Temperamento sanguineis promptior faciliorque suppuratio. Ætas proiectior aut senilior, durior rem strictioreisque præ se fert fibrarum texturam, solutu difficultorem. Emollientia jam enarrata scopum pertingunt oleosis commixta & diutiùs usurpata. Hac methodo naturæ amicâ, plerisque apostematum medelam afferes, ferrique incommoda vitabis.

V.

ERGO, inquieris, nullum apostema, sectione curandum? absit. Nonnunquam sectio salutaris, imò necessaria. At facilius, addes, sectione factâ tractaretur, sanaretur tutius. Utrumque negat ratio. Experientia refragatur. Sectio, multa secum invehit mala; secantur pretiosa plurima cujuscumque generis vasa, aliàs non rumpenda; hinc succorum copiosior expansio pedissequa; hinc suppuratio abundantior futura. Grave aliud secum im-

portat incommodum sectio facta apostematis ; suppurantium formidanda series presso pede sequitur ; hæc fundunt , liquant plus æquo ; imò , pervertunt frequentius ipsam puris laudabilis texturam naturalem ; è dulci acrem , ex insipidâ acidam fecit , aut alio quovis vitio contaminavit non raro suppurantium dira libido , aut ordo perversus. In sarcosi promovendâ , errores quāmplurimi ; alii , gradu præcipiti nimis , in eam ruunt , dum nimirū morā eidem invigilant alii. Nonnunquām sarcosis fit inæqualis ; fungosa sēpè & flaccida ; nec firma fatis rubraque & optimè carnea. En ubi vocantur in auxilium caustica ; en lapidis *infernal*is triumphus : at quām fallax eorum usus ? quām benè tunc cum ægro ageretur si ea intūs , plus damni , quām doloris forinsecus non afferrent? Absit tamè ut interdicatur sectio in apostemate profundiùs sito , ubi cutis nec affici nec putrefieri poterit simùl cum apostemate ; & ubi metus erit ne serpat materia subtūs contenta , modò sinuosum ulcus , fistulosum modò aut cancrosum formatura. Secare licet in omni tumore apostematode maligno ; in carbunculo aut anthrace , si urgeat præsentia periculi. Seca quodcumque apostema sphacelo aut gangrēnā stipatum , ni citò utrumque detur discutere efficaci aliquo pharmaco & tuto. In omnium autem apostematum amplâ & quotidiana multitudine quām pauca hujusce naturæ se offerant curanda , praxis evincit.

Ergò inter apostemata , pauca ferro sunt aperienda.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Arcelin.

*M. Joannes le Thieullier ,
Chirurgiæ Gallico idiomate Professor designatus.*

M. Franciscus Pouffe.

M. Petrus Chevalier.

*M. Jacobus Verdelhan
Desmoles , Scholarum
Professor designatus.*

*M. Thomas - Bernardus
Bertrand.*

M. Franciscus Bernard.

M. Claudius Person.

*M. Camillus Falconet ;
Salubris Consilii Regii
Socius , & è Regiâ Scien-
tiarum & Numismatum
Academîa.*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-JOANNES-BAPTISTA COSNIER ,
Parisinus , Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus ,
A. R. S. H. 1750 , à sexta ad meridiem.